Nobilissimo Viro
CONSTANTINO HUGENIO
Equiti a Zuylichem Toparchae,
Celsitudini ARAUSIENSI ab Arcanis
Gotefridus Wendelinus.

Quam mihi domum subiecisti oculis VIR NOBILISS. eam ego si vel aliunde spectarem ignarus Domini, pronunciarem tamen statim non nisi ab Elegantissimo Ingenio designatam, non nisi a peritissimo Architecto constructam; hoc est (verbo ut eloquar) non nisi TUAM esse. Ita non domum illic magis quam ipsum te totum contemplor: tantumque non Commentarium in Vitruvium legere mihi videor, Serliano pleniorem. Unas (ut datâ mihi a te indicij libertate utar) in Ichnographiâ desidero plagas 4 mundi, quas doleo non adpictas: ut solida esset hac mea hic voluptas animam quoque spirantis domus haurire. Intelligere inquam an, et quâ parte, quos, seu rectâ sive ex obliquo spectet Cardines. Et hoc ergo sculptor addat amabo te, quod Commodissimè potest in Areâ sive Quadrio: nam inde reliqua structurae ratio constabit. Si quid hic est, quale de tuâ illâ elegantiâ et Ingenio suspicor, ut sive in directum sive ex Diagonio exporrigatur vel in plagas ipsas axium, vel saltem in ortum aliquem occasumve Cardinalem, domum istam

Haud timeam magni dixisse Palatia Coeli.

Praestolabor ergo avidè felicitatem istam: quâ hoc mihi renuncietur: ut si quid maius multo atque Augustius praestitura sit hac Domus secutura nos post trecentos annos posteritati, prolibem, idemque admoneam. Obliquitatem Solis mutabilem semper atque ab omni retrò aevo hactenus mutabilem, sola huiusmodi aedificia possunt facere notabilem. Sit (opto) Domus ista in Batavis Puteus Syenes, sit Serapeion. sit Eudoxi specula, sit Obeliscus Campi Martij. vel quidquid aliud magnum hoc naturae arcanum recluserit. Interibi gnarus iam Consilij tui circa Caminorum fastigia: ignosce si denuo inter Olores Batavos Anser Grudius (Lossensis Comitatus Indigenas de hoc nomine posthac intellige) Ciconijs ipsis molestius obstrepo. Etiam Pan auditus est Apollini, et invenit probatorem

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2267

Este procul foeda volucres, quas blandior aura
Allicit, atque eadem nubila facta fugat,
Nulla domo hac vestris fumant fastigia nidis
Nidorem vobis nulla culina parat
CONSTANTINUS in has Divarum admittere sedes
Non nisi CONSTANTES suevit amicitias.

Illud de Casu gravium, decrevi typis iisdem subiicere quibus sua Mechanica Galilaeus, ac forma eadem, ut congeneam materiam idem volumen exprimat: sed expecto donec milite in hiberna sua recepto te Haga tua habebit. Elzevirio tanto propiorem ne fraude aliqua meum mihi pereat. Vale Vir Nobilissime ~~et~~ porrho idem esse perge

Hercio Gaudiorum, 8.
Kal. Novemb. 1639.

Tuo illi quem pernosti
Gotfrido Wendelino.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2267

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2267

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2267